

IN OBITVM
CELEBERRIMI ICTI
IO. CHRISTOPHORI
SCHACHERI,

SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS
FACVLTATISQVE IVRIDICAE ASSESSORIS
CODICIS PROFESSORIS PVBLICI, CANONICI MARTISVURGENSIS

AC DECEMVIRI

IN ACADEMIA LIPSIENSI

ELEGIA

C. H. C. de W.



Kapsel 78 N 14 [85]

AK



Um T V A T E rapiunt præter spem fata,

SCHACHERE,

Accipe supremum, quod TIBI dico,

V A L E.

Turpe mihi fuerit, reticere novissima verba,

Mæsta nec exequiis solvere iusta T V I S.

Hoc ego si patiar tacitus discedere tempus,

Alloquii superest copia nulla mei.

Non ego T E post hac, ut adhuc, studiosus adibo,

Sermonesque T V O S aure patente bibam;

Non ego sectabor referantem sacra verenda,

Quæ sibi deposcit sola, probatque Themis.

O tanta Diva, si quisquam, digne sacerdos,

O decus, o patriæ gloria summa T V A E,

Cum T V A posset adhuc virtus prodesse tot annos,

Cur immatura morte peremtus abis?

Feruida non patriæ possunt T E vota morari?

Non coniux, nullo, T E nisi, digna viro?


*Non TVA gens, multas post clades orba relicta,
Fratrem si demas, spem columenque domus?
Non, querula qui TE collegæ voce requirunt,
TEque dolent operam destituisse suam?
Non, cui movisti rigidos, Academia, luctus,
Arte fideque TIBI vix habitura pares?
Denique non iuris studio devota iuventus,
Quæ, duce TE, Themidi mascula thura dabat?
Hæc TIBI cuncta, prout constat, si cara fuere,
Eccur tot frustra vota precesque cadunt?
Cur gemitus planctusque cies lacrimasque perennes,
Qui vixit nulli causa doloris eras?
Proptereane TVA tantum comitate placebas,
Congressusque dabat gaudia mille TVVS,
Ut luctu, qui TE nossent, graviore dolerent,
Atra dies cum TE tolleret ante diem?
Ambiguo sed cur temero TVA funera questu,
Factaque crudeli vulnere tracto manu?
Scilicet iniussus TV de statione recedis,
Et res arbitrii vitæque morsque TVI est;*

*Doctrinaeque TVAE, sinerent si fata Deusque,
Nullus in his terris usus, ut ante, foret.
Hoc de TE poterit fingendo credere nemo,
TammalaTE minime fama, SCHACHERE, manet.
Publica si simili phires studioque fideque
Commoda curarent, TE legerentque ducem;
Tum bene de patriis actum foret undique rebus,
Publica tum staret tempus in omne salus.
TV sequeris nutum, qui TE terrestria jusfit
Linquere, quo capias gaudia summa, DEI.
Otia tam longo succedere grata labori,
Par erat, & dulci membra quiete frui.
Lator sorte TVA, qua quæ felicior esse,
Quamlibet accumiles commoda cuncta, potest?
Non ego TE lacrimis decorare, vel ossa querelis
Condere sollicitis, fasque piimque puto;
Sed repeto, quanquam TE non ignoro valere,
Cum iubeat pietas officiumque, VALE.*

X 231 8136

78 N 14 [85]

IN OBITVM
 CELEBERRIMI ICTI
IO. CHRISTOPHORI
SCHACHERI,
 SVPRMAE CVRIAE PROVINCIALIS
 FACVLTATISQVE IVRIDICAE ASSESSORIS
 CODICIS PROFESSORIS PVBLICI, CANONICI MARTISVURGENSIS
 AC DECEMVIRI
 IN ACADEMIA LIPSIENSI
 ELEGIA
 C. H. C. de W.



Kapsel 78 N 14 [85]

AK

